



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisque Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

2 Vtrum Iustitia tantum versetur circa actiones, an etiam circa passionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

elinatur ad cuique reddendum ius suum ad æqualitatem: quo modo hic de ea disputamus, & quærimus quid sit.

Definitur ab Ulpiano L. Iustitia. *De Iustitia & Iure, hoc modo: Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Sensus est, Iustitia est virtus inclinans & firmans voluntatem ad perpetuò cuique tribuendum ius suum; idque ad æqualitatem. Dicitur Primò, *constans voluntas*, quia est propositum habituale deliberatum & firmum. Secundò, *perpetua voluntas*, quia ad perpetuò reddendum: qui enim tantum semel, aut bis, non autè semper & in omni euentu vellet cuique ius suum reddere, non esset verè iustus, nec haberet hanc virtutem. Tertiò, *ius suum*, id est, quod cuique stricta obligatione est debitum. debet autem reddi hoc ius ad æqualitatem, alioquin non perfecte redditur, ac proinde non erit perfecta Iustitia: quia Iustitia æqualitas quadam est, vel certè æqualitatem inuoluit, vt nomen insinuat. Simili panè modo definitur Iustitia à D. August. lib. 19. de Ciuit. cap. 21. & Ambros. l. 1. de officiis cap. 24. *Iustitia est virtus que sua cuique distribuit.*

Hinc patet Primò, Iustitiam esse virtutem; nam reddere cuique ius suum, & constituere vbi que in actionibus quibus homines inter se communicant debitam proportionem & æqualitatem, est per se honestum & rectè rationi consentaneum; ac proinde virtutis opus.

Patet Secundò, Hanc virtutem esse in voluntate, quam inclinatur vt velit cuique reddere quod debet: est enim propositum & inclinatio voluntaria ad id quod iustum est.

Patet Tertiò, Hanc virtutem rectè disponere hominem ad alterum in functionibus & commutationibus mutuis. nam inclinatur vt velit, & præstes quod alteri debes, & iuri eius ex æquo respondeat. Nec obstat, quòd Iustitiæ sit velle etiam vt alter tibi ius reddat, ideoque non solum te disponat ad alterum, sed etiam alterum ad te: quia formaliter solum subiectum suum disponit ad alterum; effectiue tamen alterum ad se disponere potest. omnis enim virtus honestum sui obiecti amat in omnibus, illudque procurat quantum commode potest.

Patet Quartò distinctio huius virtutis à reliquis. Ab iis quæ sunt in intellectu; quia est virtus voluntatis. A ceteris quæ sunt voluntatis differt obiecto: à *Theologicis*, quòd earum obiectum sit Deus; Iustitiæ, debitum proximo. à *Religione*, quòd Religio spectet debitum Deo, vt primo principio, cui æquale reddi non potest; Iustitiæ, debitum proximo, cui potest rependi æquale. à *Pietate*, quia pietas spectat solum debitum parentibus & patriæ ratione ortus, cui etiam satis heri ex æquo non potest. ab *Observantia*, quia hæc spectat debitum maioribus ratione gubernationis, cui etiam præmium æquale reddi nequit ab homine. ab *aliis Iustitiæ partibus*, quia debitum, quod spectant, est minus debito Iustitiæ. à *Temperantia*, quia hæc non disponit meam functionem ad alterum, sed ad meipsum, vt mihi sit commensata; inclinando me, v.g. vt comedam, & bibam, sicut ratio dicitur mihi conuenire ad bonam valetudinem, ad functiones animi & corporis, sine vilo ad alterum iuruitu. à *Fortitudine*, quia hæc non respicit quid alteri debeatur, sed quid se deceat sustinere, & quantum, &c.

Patet Quintò, Cùm Iustitia sit ad alterum; hominis ad seipsum non esse propriè iustitiam, vel iniuriam, neque patris ad filium, aut filij ad patrem, iuxta Aristotelem & D. Thomam: quod intellige quoad iura & debita quæ sunt inter ipsos quæ tales sunt. quod enim filius vt filius debet patri, debet ei lege pietatis, non iustitiæ: debet enim ei, non vt alieno & profus distincto, sed vt principio sui esse. similiter quod pater filio: debet enim ei tamquam sibi ipsi. est enim filius aliquid patris, scilicet fructus eius & veluti pars ab illo abscissa, iuxta Aristotelem 8. Ethic. cap. 12. in qua natura paterna conseruetur. quare cùm tanta inter ipsos sit vnio, maius est debitum quàm Iustitiæ vulgaris.

Nec obstat, quòd si filius patrem occidat, peccet contra Iustitiam, & teneatur heredibus ad restitutionem; quia non peccat contra Iustitiam præcisè, quatenus facit contra debitum filij & ius paternum: (sic enim solum peccat contra pietatem) sed quatenus sine legitima auctoritate liberimit hominem. Est enim in hoc facto duplex malitia, altera contra Iustitiam, ratione substantiæ personæ quæ læditur; altera contra pietatem, ratione circumstantiæ eiusdem personæ. Potest tamen inter ipsos esse debitum Iustitiæ, quatenus sunt distincte personæ habentes distincta iura & dominia. vt si filius sit emancipatus, vel habeat bona castrensia, aut quasi castrensia.

Pari modo inter dominum & seruum, quæ tales sunt, propriè non est Iustitia. Ius enim domini in seruum non est Iustitiæ, sed despoticum, quo potest illi imperare, illoque vt in suum commodum, illum vendere, permutare, donare. Seruus enim est domini instrumentum & possessio. Seruus verò obstringitur domino, debito obsequiæ seu dulciæ, & debito obedientiæ, si tamen spectentur vt sunt homines distincti & in multis rebus liberi, sique iuris, diuersa iura habentes, sic potest inter eos esse Iustitia & Iniuria. vt si dominus seruum occidat, vel mutiler, nam in vita membrisque tuendis & conseruandis seruus non subest domino, sed est sui iuris. si seruus furetur vel damnum domino inferat, si fugam contra Ius & fas capeflat; hoc enim furti genus est.

DUBITATIO II.

Vtrum Iustitia tantum versetur circa actiones, an etiam circa passiones.

D. Thom. art. 9.

Respondeo, & Dico Primò, Iustitiam primò versari circa solas actiones ritè ad alterum disponendas, & circa res vt sunt actionum materia, non autem circa passiones, vt temperantia, & fortitudo.

Probat; quia proprium officium Iustitiæ non est curare vt homo non nimium irascatur, vel ne metuat, aut ne voluptates amet plus quàm par est; sed vt cuique præstet quod ei debitum. & quamuis ab hoc impediri possit per iram, timorem, pecunia vel voluptatum amorem; tamen eius non est hæc impedimenta per se ipsam tollere, sed aliarum virtutum præsidio. omnes enim virtutes se mutuo iuuant, dum quæuis tollit quædam

6
Inter filium & patrem.

Inter dominum & seruum.

7
Obiectum Iustitiæ.

Virtutes omnes se inuicem iuuant.

dam aliarum impedimenta. Mansuetudo enim temperat iram; unde iuuat illas virtutes, quarum functiones per iram impediri possent; vt Iustitiam, obedientiam, humilitatem. Fortitudo moderatur timorem, liberalitas pecuniarum amorem. Idem de ceteris esto iudicium.

8 Dico Secundò, Potest tamen Iustitia secundariò moderari passiones, quatenus illa moderatio est medium necessarium ad finem ipsius intrinsecum, qui est reddere cuique ius suum.

Quomodo
Iustitia
possit esse
causa mo-
derationis
passionum.

Probatur Primò, Quia possum velle moderari iram, amorem pecuniæ, & timorem ne alicui faciam iniuriam; & ex vi huius intentionis sequetur moderatio illarum passionum, absque interuentu intentionis, quæ sit alterius virtutis: atqui intentio illa neminem lædendi est actus Iustitiæ: ergo Iustitia etiam moderatur passiones.

Secundò, Quia omnis virtus ob suum finem intrinsecum potest quosuis actus externos aliarum virtutum ad illum idoneos imperare; vt ostensum est 1. 2. q. 17. a. 5. atqui moderatio passionum est medium idoneum & sæpè necessarium ad finem intrinsecum Iustitiæ, estque actus externus virtutis, cum non sit in voluntate: ergo Iustitia potest illam imperare. Itaque illa moderatio tunc formaliter erit actus Iustitiæ, non autem temperantiæ, vel mansuetudinis, vel fortitudinis; quia immediatè sequitur ex affectu Iustitiæ, vt ostensum est 1. 2. q. 18. a. 6. dub. 1.

Iustitia at-
tingit me-
dium rei:
alia virtu-
tes medium
rationis.

9 Hinc colligi potest quò modo Iustitia dicatur attingere medium rei, reliquæ virtutes medium rationis, de quo D. Thom. art. 10. Iustitia enim non spectat quidnam sit commensuratum suo subiecto secundum rectæ rationis regulam; sed quid sit commensum rei, vel iuri alterius, vt nec minus nec amplius præstetur, sed æquale: Temperantia autem & Fortitudo spectant medium rationis; id est, quidnam iuxta rationis dictamen sit commensum subiecto, non excedens aut deficiens modum subiecti, unde medium in his est variabile pro varietate subiectorum: quod enim respectu vnius est medium & æquale; ad alterum est nimium, ad tertium est parum, itaque rationis examine hoc medium est inuestigandum, & ex consensu cum regula rationis statuendum. In Iustitia autem semper est idem medium, quaecumque tandem sit subiectum, quod ipsa afficit: quod medium consistit in æqualitate rei ad rem, (vt pretij ad rem venditam) vel proportionis ad proportionem: nempe vt talis sit proportio inter munera & onera communia, qualis est inter personas quibus hæc distribuuntur. Vnde meritò dicitur medium rei, non excedens, non deficiens ad Ius alterius.

DUBITATIO III.

Utrum præter Iustitiam particularem sit aliqua Iustitia generalis quæ legalis dicitur, & quid illa sit.

D. Thomas q. 58. art. 5. 6. 7.

Respondeo, Esse quamdam Iustitiam legalem, seu generalem. Ita docet hic D. Thom. art. 5. & Aristoteles lib. 5. cap. 1.

10 Ratio est, quia omnis pars Reipubl. dupliciter

potest ad alteram comparari. Primò, vt pars ad partem, ciuis ad ciuem; & sic est Iustitia particularis quæ hominem in hac habitudine pericit. Secundò, vt pars ad totum, scilicet ad ipsam Rempubl. sic est Iustitia generalis, quæ hominem in habitudine ad Rempubl. pericit.

Sed tota difficultas est, quid sit hæc Iustitia, quod eius officium, & quomodo ab aliis distinguatur. nam D. Thom. hic, & Soto l. 3. de Iustitia q. 2. a. 3. existimant quamdam esse virtutem particularem distinctam à ceteris omnibus, quæ procuret bonum commune. Verùm Andreas Vega l. 5. in Concil. Trid. c. 4. & multi alij putant esse complexionem omnium virtutum.

Notandum est, nos posse loqui vel de re ipsa, vel de mente Aristotelis, qui primus Iustitiæ legalis nomine videtur vsus. Si de re ipsa loquamur.

Dico Primò, Non videri dubitandum quin sit aliqua particularis virtus bonum commune Reipubl. intuens & procurans, cui hoc nomen Iustitiæ possit accommodari. Probat hoc satis D. Thomas art. 6.

Ratio est, quia velle & procurare bonum Reipubl. habet specialem rationem honesti & laudabilis, quæ non inuenitur in functionibus aliarum virtutum: multò enim id est laudabilius quam curare priuata: ergo ad specialem virtutem pertinet; quæ rectè dicitur Iustitia legalis. Iustitia, quia respicit quodammodò alterum, id est, Rempubl. Legalis, quia extendit se ad omnia quæ lege sunt statuta propter bonum commune.

Secundò, Quisque ciuium quæ est pars societatis ciuilis, eiusque fruitur commodis, speciali debito obstrictus est ad procurandum bonum illius societatis: (nam pars est propter totum, & bonum partis propter bonum totius) sed vbi est specialis ratio debiti, ibi etiam est specialis ratio virtutis, & quidem Iustitiæ, cum sit ad alterum, & etiam de iis quæ legibus sunt præcepta.

Tertio, Si quis negligat bonum commune quando versatur in periculo, vel præponat ei priuatum commodum, peccat contra hanc Iustitiam: non tamen tenetur ad restitutionem, nisi ex officio ei incumbat huius boni conseruatio: quod signum est, hanc esse virtutem specialem distinctam à Iustitia particulari.

Dico Secundò, Probabile est hanc virtutem non distingui à virtute pietatis; quatenus per pietatem, patriæ vel Reipubl. in qua viuimus, debitum cultum obsequiumque præstamus.

Probat, quia secundum D. Thom. Iustitia legalis est procurare bonum commune Reipubl. & ceteras virtutum functiones ad hoc destinare, quando opus est. v. g. si Reipubl. versetur in periculo, Iustitia legalis conatur omnibus modis eam tueri; imperat arti militari vt excogitet modos defensionis, pericula contemnit, sumptus annonæ restringit, thesauros effundit: denique nihil non molitur ex affectu erga Rempubl. Sed hæc omnia videntur esse officia pietatis in patriam, vel Rempubl. neque explicari potest quamnam alia virtus hæc præstet: ergo pietas est illa virtus, quam D. Thom. Iustitiam legalem vocat, vel certè parum ab ea distinguitur.

Dices, Pietas æquè est in subditis ac in Principe: atqui Iustitia legalis non est æquè in vtroque, in Principe enim est principaliter, & architectonicòs; in subditis secundariò & veluti in administris,